



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Vt ea quæ patimur nobis solis imputemus: Christi vita, mors, passio, vt in  
aduersis ob oculos constituamus [Can. XXVI.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

quia volo, dona enim mea gratuita sunt. Tu igitur noli de præmio cogitare, sed nobiliori modo amanti, fidelioritq; corde me cogita, & propter me ex charitate mihi subice ad omnia quæcunque volo. Si scires filia quantus est tribulationum fructus, pro voto susciperes gloriari, in cruce ac tribulatione. Quanto igitur plura tibi occurrunt aduersa, quantoq; desiderijs tuis (etiam quæ sunt ad placendum mihi) obstitit, tanto debes ad patiendum esse feruentior, tantoq; erga me refrenatior: quia mea voluntate ac prouidentia agitur, quando voluntas tua etiam bona impeditur, vt videlicet pro vna dux tibi virtutes nascantur, habeasq; simul ex bona voluntate (tametsi non permittaris operari) boni operis mercedem, & ex aduersitate voluntatem impediente, patientiæ coronam. Adde quod bona voluntas quanto fuerit aduersitatibus tentata & inuenta fidelior, quantoq; manet inter contraria studiosior, tanto ei reposita est apud me gloriosior corona. Itaque quia te diligo, volo vt tota ac purè fidelis mihi sis sponsa, volo vt absq; vlla proprietate mihi seruias, easque non quo tu velles, sed quocunque te misero siue duxero, ne in his quoque quibus mihi placere intendis, teipsam simul quæras: quin potius vt fidelis, deuota ac obediens ancilla, quæ exera dominæ suæ voluntatem nullam habet electionem, sic tu nulla in te teipsam, sed me solum purè quæras, fitq; id tibi semper acceptissimum, quicquid ego per manus hominum, aut quomodocunque volo, impofero tibi ferendum.

Voluntatis bonæ quando corona gloriosior.

*Vt ea quæ patimur nobis solis imputemus: Christi vita, mores, passio, vt in aduersis ob oculos constituamus.*

## CANON XXVI.

**N**on filia ad homines respicias, neque hominibus imputes si qua pati habeas. Quid noxa habet virga si pater corrigere filium tentans, hac vsus fuerit? Et tu cur irasceris hominibus, qui pro flagello in tui emendationem aduocati mihi seruiunt? Non igitur cōtra illos pugnes aut disputes, sed hoc obserua, ne tua te impatientia lædat, & fructum quem assequi debueras patiēdo, amittas quærulando. Patiēdo igitur ad omnes homines esto benigna ac mitis: esto serena vultu, vt nulla turbulentia, nulla quærimonia, nulla deiectione animi seu tristitia, nec quicquam in te deprehendatur, vnde intelligaris pati aut grauari.

Alijs non imputandis, quando patimur aduersa.

Si te arguerit quispiam aut conuiciatus fuerit, serenum ac benignū ostende vultum tacens, atq; in signum dilectionis bene acceptantis, boni omnia consulentis, nec vltionem cogitantis, nec iniuriam sentientis, cum verecundia humiliter subrideas. Caue autem ne tūc loquaris, nisi duo aut tria verba modeste. Ita te exhibeas humilem ac mitem, vt nemo nō audeat corripere te, nemo timeat despiceri, nemo conuitia inferre. Disce in omni aduersitate ad omnem obiurgationem, ad omnem contumeliam aut iniuriam tacere, sustinere & quiescere, & inuenies meam gratiā. Ad quam alioquin nunquam peruenies, nisi tacendo, & ea quæ tibi ferenda impono, æquanimiter sustinendo. Habes autem o filia simul ac sponsa mea vitam meā, patientiæ ac mititatis exemplar. Neque enim ociose dixi. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*: quando quidem vita mea patientiæ, humilitatis, ac mititatis fuit exemplar. Inter pœnas ac acerbos cruciatus, inter derisiones & blasphemias, inter cruces hostium minas, & vultus impios quid à me quæricularum aut murmuris egressum est? Cui inimicorum maledixi? cui aspere loquutus sum? cui durè respon-

Conuitia passus quo animo esse debeat.

Matt. II.

Mores Christi in passione quibus exemplo fore debeant.

Aduersitati  
omni quo  
animo oc-  
currendum.

Esa. 57.  
Lucx 23

Creatura  
omnis vt  
gratiz Dei  
maioris in  
homine oc-  
casio fiat.

respondi? cui malè sum peccatus? imò cui non condolui, qui pro omnibus simul orauit: Sic tu in silentio & tranquillitate patientiam habe, & esto sine murmure ac querela mitis. Noli tu pro te pugnare. Noli pro te ipsa respondere. Noli te defendere aut excusare. Tace & teipsam ac causam tuam mihi committe. Ego pugnabo pro te, & tu imperturbata immotaq; in silentio mihi interim inhare, parata cum desiderio omnem confusionem potius sustinere mei amore, quam vt intus vel extra remurmures in mi oimio. Quamdiu videtur tibi iniuria fieri, quam diu aestimas te indigna & iniusta pati ò filia, tamdiu neque ad veram patientiam, neque ad tuipsum cognitionem peruenisti. Occurre igitur hilaris & deuota omni aduersitati, & teipsam offer mihi ad patiendum, ad carendum, ac ad laborandum portandumq; quomodocunq; volo. Hunc diem aestima amissum, quo crucem non sentis singulari Si scires quantus est patientiæ fructus, magnam illis reuerentiam, magnam gratitudinem exhiberes, qui te premunt. Cogita quomodo ego agnus innocens ad eos qui me conspuebant, flagellabant & crucifigebant cor mitissimum gerebam, atque per omnia tranquillum, eosq; excusabam, ac pro illis orabam. Ita tu oportet vt nullas iniurias reputes, nec quod iniuriæ tibi fiant arbitreris: sed me solū respicias, me attendas, & quod ex dilectione ego solus omnia tibi hæc faciam, intelligas. Hoc modo filia nihil est in creatura quod non sit via tibi & occasio vbius gratiæ meæ, quia in omni us inuenies me, modo creaturam non vt creaturam, sed me in creatura, quemadmodum debes, cōtemplata fueris, in creatura me receperis, me audieris, me senseris: siquidem in omni creatura tibi loquor. Ausculta igitur & intellige per vnāquamq; rem quæ tibi accidit, quid à te velim: vbi verò didiceris meam voluntatem, mox illam debes esse paratissima. Si ita auscultares, hoc modo totus mundus tibi liber esset & eruditio.

*Consolationem nullam desiderandam in quibusuis aduersis: perfecti-  
item amicorum Dei in hac vita altissima  
que sit.*

CANON XXVII.

**V**ia regia & sublimis perfectorum omnium amicorum meorum, & alia quoque ambulanda, videlicet non habere in omni præssura, in omni aduersitate vnde consoleris, adeoq; pauperem esse, vt non super sit tibi quo te veritas, cui confidas, aut quem consulas, in quem te respicias præter me: et nihil aliud tibi restat aut relictum sit, quam animaduertere ac pensare quantum potes ad meam gloriam in hac præssura sustinenda proficere, intus per desiderium te offerendo, & extra humiliter omnibus te subijciendo & seruiendo, perinde ac si omnibus impunè, citraq; iniuriam liceat, imò à me præceptum sit, te premere ac consulcare. Hic omnis quærimonia, omnis argumentatio, omne murmur, omnis displicentia erga proximum cessabit, & qui te durius præ cæteris præmunt, hotam placandi, itemq; gratificandi mihi, præbent. Insuper gaudebis, quod materiam exercendæ virtutis, probandæq; dilectionis erga me (quod si me perfectè desiderares) tibi offerunt. Est autem adhuc altior perfectio, omni videlicet consolatione humana, tum diuina destitutum, tentationibus, præssuris, angustijs, dubijs, perplexita-

Perfectio al-  
tissima in  
hac vita que  
sit.